



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III

Cunæus, Petrus

Lvgd. Batavor., 1632

Prolegomena in Lib. III. Amplissimo viro Franconi Duyckio Consuli Leidensi
primario P. Cunæus S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)

PROLEGOMENA

in LIB. III.

Amplissimo viro

FRANCONI DUYCKIO

Consuli Leidensi primario

P. CUNÆUS S. D.

M

Emini ego, vir amplissime, qua tempestate animus meum ad graviora quadam disciplinarum studia adicerem, in primis illud mihi propositum fuisse, uti in evolvendis omnium scriptoribus nihil aequae sectarer, quam documenta quadam illustria earum rerum, quae ad civilem doctrinam pertinerent. Existimabam enim profecto, id quod res est, pulcherrimis eos curis, cogitationibusque fatigari, qui rerum publicarum incrementa conversionesque, & imperiorum precipites casus, ex historiarum monumentis eruerent, ut inde sibi quisque, suaque civitati quod imitandum esset, caperet, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitaret. Quare jam pridem antea in Suetonii Tranquilli, atque in Cuii Cornelii Taciti

Taciti quibusdam libris lustrandis ita ope-
 ram posuimus, ut in rerum Romanarum
 peruestigatione pleraque etiam attingere-
 mus, qua in uniuersum omnibus civitati-
 bus atque rebus publicis convenirent. Quae
 ubi editioni quondam matura erunt, ad te
 iudicem, atque ad eos, qui tui similes
 sunt, hoc est, ad homines eruditos, pruden-
 tesque, & rerum gnaros, pertinebunt. At
 in his de republica Hebraea, quos nunc edi-
 mus, libris, haud idem fecimus. Duntaxat
 enim de sacro populo diximus. cetera gen-
 tes quam recte constitutas respublicas aut
 secus habuerint, quibusve legibus eas aut
 institutis rexerint, haud traditum hic à no-
 bis est, propterea, quod divina Mosis poli-
 tia exemplo caret, atque omnino incompa-
 rabilis est. Sane quidem ceterorum legis-
 latorum, quos tantopere admirata omnis
 vetustas est; sanctiones multa Mosaicis si-
 miles fuere. permagna enim civibus vir-
 tutis, fortitudinisque exercendae imposita
 necessitas ab illis fuit. sed, quae de sacris,
 deque cultu divino constituta ab illis sunt,
 haud ita penitus animos mortalium reli-
 gione obstrinxerunt. Moses enim utique
 Deum unum atque aeternum, rerum po-
 tentem, cogitationum humanarum, confi-
 liorumque omnium arbitrum, atque iu-
 dicem, nullius satum editum, immutabi-
 lem, atque oculis inaccessum tradidit, cu-

jus formam nulla ars neque opificis exprime
 mere manus possit. Ita, cum vitam homi-
 num, divino numine inuisi docuisset, plane
 omnibus, id quod res est, persuasit, nullum
 bonum malumve facinus pro nihilo haberi.
 omninoque effectum est, ut jam non famam,
 aut aliorum conscientiam, sed se
 quisque testem formidaret. At de ceteris
 vero, qui vivendi præcepta atque leges
 olim gentibus dicta vere, ita sentit Flavius,
 haud nescivisse quidem eos purum illud
 unicumque, & verum numen, sed tamen
 apud populum superstitione & præjudica-
 tis opinionibus corruptum, omnino eot
 hanc rem dissimulasse, οπι τῶν ἀλη-
 θῶν ἔδωκεν ἃ δόγματ' ἐξενεγκεῖν ὅσα
 ἐτόλμεσαν. propterea quod verita-
 tem dogmatis proferre non audebant.
 Ipse Plato apud eundem Flavium fatetur,
 esse isthac arcana quadam, qua in vulgus
 edere periculosum sit. Quod profecto longe
 secus est. Nulla enim res Mosaicam rem-
 publ. æque continuit, quam religionum
 illa doctrina, qua nullis fabulis, aut ine-
 ptiarum pigmentis incrustata, multo al-
 tius in Hebræorum pectora, quam quis-
 quam Græculus ratus esset, descendit.
 Propositum nobis fuerat, legum Mosaica-
 rum vim, sententiamque, atque etiam
 causas ex abdito eruere, atque omnia ea,
 qua hujus generis essent, cum institutis &
 sanctia-

sanctionibus aliarum nationum conferre. sed conantes nos talia atque meditantes magnitudo operis tardavit, ut hoc, quod diximus, perducere ad exitum nondum patuerimus. Non tamen semper suspensam expectationem eorum tenebimus, qui saepe id à nobis serio efflagitarunt. Etenim profecto, quoniam per otium subinde, & succisivo tempore commentarios adornamus in universa opera FLAVII IOSEPHI, qui scriptor luculenter in libro IV Antiquitatum, & rursus in secunda Apologia adversus Apionem, totam eam rem pertractavit, neutiquam nobis illic deesse huiusmodi dissertationum poterit occasio. Nos, summe ДУСКИ, quemadmodum illud argumentum, ubi excultum à nobis erit, fore multis non inutile speramus, ita plane confidimus, hac, quæ nunc edimus, ejusmodi esse, ut præteriri à nobis non potuisse videantur. Pleraque enim ne attigerunt quidem ii, quibus hoc ævo de republica veterum Hebraorum aliquid scribere cura fuit. Interdum vero etiam commentationis materiem nobis dedit error aliorum & hallucinatio. omninoque necesse nobis fuit confutare quosdam, quos pridem eruditio sua, & consentiens hominum existimatio in excelso collocavit. Quod tamen ipsum semper inviti facimus, pene ut nosmetipsos nostri pudeat.

Proditum à Caio Cesare est, eos, quibus inter officia antelucana obuius fuisset Marcus Cato, cum caput ebrui retexissent, erubuisse, planeque esse ita existimatum, non ab illis Catonem, sed illos à Catone deprehensos. Idem nobis hic evenire consistimur. non enim honori eorum quidquam detraximus, sed ipsi nostra modestia vim fecimus, atque ita illos reprehendimus, ut laudemus. Vinam vero adversus nos eadem equitate utantur, qui fortassis animadversiones nostras olim ruspabunt. bene profecto cum nobis atque praeclare actum esse existimabimus. Non sumus tam superba impotentisque arrogantia, ut in tanta communis naturae imbecillitate solos nos superesse existimemus, quibus interdum opus venia non sit. Hallucinamur omnes, alii gravia, alii leviora. nec est quisquam, qui tam bene animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum possit amplius, aut fallere. Adde quod interdum vitii loco est, nusquam peccavisse. quod de Apollonio Rhodio Dionysius Longinus pronuntiavit, cum significare vellet artem & diligentiam in eo summam fuisse, at ingenii vim negatam illi esse. Spernit anxiam curam animus, simul ac illum implevit rei majestas. Miserum est ferme & jejunum, quicquid ab illis speratur, qui sese intra limites quosdam & praescripta spatia

spatia claudunt : qui sensa sua torquent,
 & de singulis rebus in consilium eunt: quo-
 rum hic exitus est, ut, quum toto anno, per
 omnes dies, magno molimine unum li-
 brum extuderint, vitavisse potius repre-
 hensionem, quam meruisse laudem videan-
 tur. Quare idem ille acerrimi vir iudicii
 Longinus maximos homines ab omni auro,
 cum luculentissima quaque dicerent scri-
 berentque, errores interdum in minimis us-
 que adeo non effugisse ait, uti in quosdam
 etiam sponte delati sint. Nimis angusta res
 est, non errare. quod cui contigit, is solite
 quidem cuncta ad normam exegit, sed ta-
 men extra culpam duntaxat est. At vero,
 qui per generosos lapsus omnia soluto im-
 petu pervadit, hic & hominem esse se, ca-
 dendo docet, & quia nihil mediocre con-
 cupiscit, proximus tenenti summa est. Est
 aliqua laus, magnis excidisse ausibus. Sed
 nos nunc profecto nihil tam grande agita-
 mus. Fuit tamen ex hac scriptione nobis
 perquam suavis voluptas. Relebamus
 enim ea studia, quibus in adolescentia
 quondam mire dediti fuimus. Iuvabat
 identidem cogitare, quantopere animum
 nostrum delectavisset Hebraismus, cum
 Biblica volumina, Rabbinorum commen-
 tarios, atque alia multa, qua erudite à
 Iudaeis scripta sunt, evolveremus. Cujus
 sane opera nunquam nos poenituit. Etsi
 Q S enim

enim postea aliis curis in publico munere
distringebamur, tamen quantum tempo-
ris tribuunt alii amicorum salutationi-
bus, quantum alicui, quantum ceteris otii
oblectamentis, tantum egomet mihi ad eas
artes celebrandas sumpsi, quarum fructus
in omnem vitam videbatur utilissimus.
Enim vero, cum sacri codicis lectio non
Theologis modo, sed omnibus bonis viris, &
praesertim eruditis, esse debebat jucundis-
sima: quid aliud magis serio agendum no-
bis est, qui in hoc honesto otio vivimus, nisi
ut quam optime nobis cognitus intellectus-
que sit is sermo, quo olim usus ipse Deus
fuit, cum priscos Ecclesiae rectores suo di-
gnatus alloquio est? Dicendum aperte
est. Valde supine atque oscitanter vivimus.
Hispanorum, Gallorumque, & Italum
verba atque voces discimus: & postquam
classes nostrae alium orbem petivere, etiam
cum Indis loquimur barbare. Tam inge-
niosi cum simus, unam illam non intelli-
gimus linguam, quam profecto unam di-
dicisse, operae erat pretium. Quod si qui
sint, qui animum suum ad pulcherrimum
hoc applicant studium, admodum id fit
plerumque perfunctorie. Major enim pars
ad fores Hebraismi accedit, quod facilli-
mum est, interiora autem sacraria, Syriacis-
mum atque Rabbinismum, ne voto qui-
dem penetrant. Atqui in Hebraismo, quot
&

& quanti sint thesauri, non est eorum ju-
 dicare, qui sola verba contextus Biblici
 scire contenti, satis sese doctos putant, uti
 etiam alios docere velint. Errant illi, meo
 quidem animo. Pergendum ultra est, di-
 spiciendumque quid Iudai, vernaculi Bi-
 bliorum interpretes, jam olim aut recte,
 aut secus dixerint. Hoc qui facit, ei jus
 fasque est de iis rebus libere dissertare, qua-
 rum notitia non aliunde erui, nisi ex sacro
 codice potest. Neque enim profecto putan-
 dum est, ad isthac transcendere illicitum
 esse iis, quos suus ordo locusque in aliis
 quoque muniis detinet. Ignorare mihi di-
 vinam animorum suorum præstantiam
 videntur, qui ad unius rei misellam scien-
 tiam velut adstricti alligatique, ultra
 hanc aliquid tentare, haud esse hominis
 putant. Omnia erecta menti pervia sunt.
 semper sese versat illa, concutitque, &
 quietis impatiens est. quidquid pulchrum,
 & grande, ac scitu dignum videt, id om-
 ne esse suum scit: & quæ sibi imperat,
 pleraque obtinet. Atque hoc quidem etsi
 ita est, versantur tamen nihilo minus ad-
 huc ante oculos nostros irritati animi eo-
 rum, quibus nondum satis sic expiavisse
 atrocissimi facinoris invidiam videbimur.
 Rem enim indignam, atque intolerandam
 clamabunt, invadi à nobis Theologiae fines,
 quos esse sibi solis ita relictos autumant, ut
 domina-

dominatum ibi quendam, & plenam iurisdictionem teneant. Sed ii homines, quoniam sunt oppido pauci, sed iniquissimi, non aliud responsum à nobis ferent, quam quod ex ipso sacro codice maxime nobis in promptu nunc est, incedere publice per hominum ora rerum dominam, divinam sapientiam, atque in trivis, & in comptis etiam adstare, omnino uti ad se inviter non flamines hercle duntaxat, sacerdotefque, & sacrorum antistites, sed plebem quoque, & pullatam turbam. Neminem illa averfatur, neminem à limine suo arceat, qui bonam spem non ejuravit. Quare exurgat quisque, & animos sumat, ac se quoque dignum fingat Deo. Non tam preclare hodie rem gerunt quidam sacra sapientia consulti, ut ex eorum ore atque verbis penitus pendere debeat is, qui recte conscientia fiducia, atque morum & vite sanctitate integrum incorruptumque civem se prestare summo numini cupiat. Nos, cum certamina eorum, contentionesque plus quam theologicas cernimus, piis votis precibusque causam publicam juramus, &, quod unum nobis jucundissimum est, procul ab insaniente multitudine nobiscum soli sumus, atque inter civilis doctrinae & jurisprudentiae curas, etiam per otium subinde theologiam quandam tractamus, non illam parti alicui aut magistro

gistro

gi
 br
 G
 est
 pe
 te
 fi
 ba
 al
 qu
 ea
 no
 li
 en
 st
 no
 ti
 ca
 ar
 pr
 a
 en
 di
 ce
 he
 di
 la
 ti
 lo
 in
 q

gistro obnoxiam, sed hanc liberam, & sobriam, frugalemque, qua literulis nostris Græcis, Hebraisq̄ue, & Latinis subnixa æstuantiam aliorum, & litigandi intemperiem contemnit. Reperies quidem in hoc tertio libro, Amplissime ΔΥΥΣΚΙ, quaestiones quasdam de Melchisedeco, & Cabala, de fide veterum Hebraorum, tum alias id genus plures, quas paulò secus, quàm vulgò fieri solet, expedivimus: sed eas cum perleges, memineris, obsecro, esse nos paratos, simulac monuerit quis meliora, sententiam mutare. Pertinaciam enim pro opinione induere, haud est nostrum. Ipsi nos, si quando errores quosdam nostros odorati fuerimus, sponte hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne quis forte studio nostri aut amore deceptus, vitia nostra cæcis oculis prætereat. Sed hujuscemodi lectores, opinor, admodum paucos nanciscemur. Plures enim ea, quæ neutiquam reprehensione digna sunt, insectabuntur. aut, si nihil incusent, frigide tamen de illis judicabunt hercle. Quorum quidem hominum fastidiosam querimoniam expugnare nos non laborabimus. Magna enim esse eloquentia debet, quæ invitis placeat. Cæterum longe maxima pars eorum erit, qui hæc ne inspicient quidem, propterea quod insita quadam animi vesania grande dedecus existit;

existimabunt, aliquid in Hebraismo à nobis didicisse. Non sum falsus vates. Omnia hac ita, uti dixi, evenient. Sed profecto quicquid hujus erit, nihil morabor. Neque ideo à recto bonoque recedam. Ex iudiciis quorumlibet latitia dolorisve causas capere, id vero est, ambitioni sacramentum dixisse, quod nunquam nos fecimus. Apud Flaccum, argutissima mulierum, Arbuscula, cum explosa à multitudine in theatro esset, satis esse dixit, equites sibi plaudere. Idem ego aio, amplissime ДУСКИ. Paucis lectoribus, sed eruditiss, gaudeo. Inter eos autem tu es, cujus iudicium acerrimis studiis, atque multa doctrina excultum, iure semper scio me fecisse maximi. Sed nimis operose prefatus sumus. Quare illud, quod propositum nobis est, ordiamur.

PETRI